

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio De Restituendis Duobus Versibus Jos. XXI. In
Quibusdam Codicibus Hebraeis Omissis**

**Abicht, Johann Georg
Flachs, Sigismund Andreas**

Lipsiae, 1714

VD18 11446064

§. XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130552)

tate versus duos omittere, mihi insolens videtur. Reprehendit Leusdenium Richardus Simon. in Hist. Crit. Lib. I. ch. XXIII. p. m. 126. quod laudaverit MSSum codicem, aureis literis exornatum, cum tamen certum sit, Judæos ejusmodi codices in Synagoga non tolerare. Et cap. XXII. p. 122. ostendit idem, Leusdenii judicium de MSSis hebræis esse fallax, quia codicem Anno 1299. scriptum, & utraque Masora in figuris animalium descripta instructum, tantum extollit, cum in confesso sit, ejusmodi codices non esse optimos. Non probamus omnia, quæ Simon. ibi reprehendit, hæc tamen adducenda erant, ut appareret, Masorethicos codices Leusdenio fuisse optimos, & ex iis Biblia esse descripta. Leusdenium itaque, Buxtorf. & R. Chajim, qui optimos codices hebræos edidisse perhibentur, Masoræ autoritate commotos, nostros versus omisisse manifestum est. Quare non miramur, quod iidem in aliis editionibus succedentibus prætermittantur. Non leguntur nostri versus in Bibliis Clodianis, neque in Berolinensibus, neque in Hooghtianis, neque in Opitianis, neque in pluribus aliis, quæ omnia juxta Masoræ supra adductæ fidem excusa sunt.

§. XI.

Tantum vero abest, ut error a quibusdam Judæis introductus per omnes Codices MSSos & impressos sit dispersus; plurimi enim tam Judæorum, quam Christianorum cura descripti integri manserunt, & nostros versus conservarunt, posthabita R. Ai, Masoræ & Kimchii autoritate. Hujus rei fidem faciunt doctissimi Benedictini, qui Hieronymi opera ediderunt Tom I. p. m. 275. hæc scribentes: *Porro hæc verba reperiuntur in MSS. Hebræo Codice Reg. num. 7. & in altero optimo exemplari MS. notato BB. 32. in bibliotheca domus Oratorii Parisiensis in vico Sancti Honorati: in quo tamen ultimo Codice secunda manus expunxit, non versus duos integros, ut perperam asserit Richard. Simon. Lib. I. Histor. Crit. cap. XXII. sed solummodo quatuor aut quinque verba, quæ non leguntur in aliis exemplaribus Hebræorum, nec in impressis. Verba expuncta sunt ist-*

hæc

hec: Ech hir mielat harozeach . . . bam midbar i. e. urbem refugii homicidæ . . . in deserto. Ut hæc melius intelligamus, observandum, Rich. Simon. l. c. adduxisse R. Theodori codicem Anno 1207. scriptum, & Constantino- poli adductum, cujus primus scriptor nostros versus descri- pserat, auctos quibusdam vocibus, quas in aliis codicibus non legimus: Versus nostri in illo ita sonant:

*Et ex tribu Ruben URBEM REFUGII HOMICIDÆ
Befer IN DESERTO, & suburbana ejus, & Jah-
za & suburbana ejus &c.*

Sed putaverat Cl. Rich. duos versus iterum expunctos, quia quasdam voces deletas observaverat; quare corrigunt eum Benedictini, qui non totos versus, sed quatuor aut quinque voces tantum expunctas esse animadverterunt. Obscurum est, unde librarius eas voces habeat, & quia nullus MSSus hebræus eas omnes exhibet, erroneæ judicantur, quare & librarius quidam easdem expunxit ad fidem aliorum codi- cum. His plures MSSos annectunt Benedictini, nostros versus legentes, dum sequentia addunt: *Quatuor aut quinque his verbis exceptis cætera scripta sunt in MSS. exemplaribus Re- gie Bibliothecæ n. 5. & n. 6. in uno etiam MSS. Codice Viri cla- risf. Paul. Pelissonii, quem Bibliothecæ nostræ S. Germani a Pra- tis nuper donavit; inque plurimis aliis, quos brevitatis ergo non recensemus.* Ex his manifestum esse putamus, versus nostros ad fidem Codicum plurimorum examinatos his ver- bis scribendos esse, omisis illis quatuor vocibus, quas in MS. R. Theodori expunctas audivimus.

*Et de tribu Ruben Be-
fer & suburbana ejus, Ja-
hazah & suburbana ejus:
Kedemoth & suburbana
ejus, Mephaath & sub-
urbana ejus, civitates
quatuor.*

וממטה ראוכו את כצר
ואת מגרשיה את יהצה ואת
מגרשיה : את קדמות ואת
מגרשור ואת מיפעת ואת
מגרשור ערים ארבע :
§. XII.